

20. 387.

2

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

FONTICVLORVM VSU MEDICO

QVAM
PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE ET h. t. DECANO

Ad d. Augusti A. M DCC XXVII.

PRO LICENTIA

SVM MOS ET DOCTORALES IN ARTE MEDICA HO-
NORES IMPETRANDI

H. L. Q. C.

publicæ disquisitioni exponet

CAROLVS BENIAMIN COCHLOVIVS.

BICINENSIS SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



REGIATIS NAUORALIS MEDICAE

DE

FONTEORVM

VSV MEDICO

QVAM

PRÆSIDE

DA FRIDERICO HOFFMANNO

FACULTATIS MEDICÆ SENIORIS ET P. DECANI

ALII

PRO LICENTIA

SVMOS ET DOCTORALES IN A. TE MEDICÆ HO-

NORES IMBERTI

M. A. C.

publice disputationi exponere

CAROLVS BENJAMIN COCHLOVITZ

themen

1744

Typis JO. CHRIS. ANTHILII, Acad. Typogr.





DISSERTATIO INAUGVRALIS.
DE
FONTICVLORVM VSV
MEDICO.

PROOEMIUM.



Ta quidem artificiosissima
machinae microcosmicæ compara-
ta est fabrica, ut in ipsa innume-
ra diversissimæque figuræ & stru-
cturæ fabrefacta sint organa, quæ
ad tuendam cum sanitate vitam,
arcendos etiam & percurandos
graves morbos, utilium succorum secretioni & præ-
parationi, inutilium vero, superfluum & recremen-
tiorum excretioni, egregie seruiunt. Nihilo tamen
secius sæpissime contingit, ut natura novos alios mo-
liatur ductus novaque efformet emissaria, per quæ de-
pravati, insolentis & plane peregrinæ indolis succi,

A 2

qui

qui maxime ipsis in morbis, præsertim chronicis, de-
 nuo prognati, summa cum utilitate e corpore pro-
 scribuntur. Abunde hoc testatum faciunt obviæ sub-
 inde in externis corporis partibus ulcerationes & fa-
 cti per eas impuri & morbifici humoris fluxus, qui-
 bus succedentibus corpus sanum est & integrum, re-
 ficcatis autem & cohibitis, illico graves & ancipites
 patitur morbosas passiones. Scilicet, quem latet,
 quam egregie in puerorum infantumque salutem illa
 materiæ serosæ & purulentæ per sic dictam tineam,
 achores & favos evacuatio cedat, ita prorsus, ut ad
 arcendos æque ac per sanandos atroces affectus, ce-
 phalalgiam, epilepsiam, lippitudinem, ophthalmiam,
 catarrhum suffocativum & asthma maximo sit præsi-
 dio, imprudenter autem suppressa, omnia hæc inve-
 hat iterumque reducat. Per plicam, quam vocant
 Polonicam, qua, per cutis & radicum capillorum ni-
 mis laxatos meatus, copiosi viscidi & impuri succi e-
 liminantur, intolerabilem cephalalgiam, maniam, me-
 lancholiam, epilepsiam aliosque truculentos capitis af-
 fectus abactos, & vicissim abscissa illa, iterum susci-
 tatos esse, innumeris certum & confirmatum est ex-
 emplis. Nobis quoque plures cogniti sunt casus,
 quod ulcera pedum, præsertim in scorbuticis & senili-
 bus corporibus, aliquandiu manantia, asthma spasmo-
 dicum, motus convulsivos, dolores ischiadicos, ar-
 thriticos diu infestantes, feliciter discussierint, & quod
 eadem mala, consolidatis exulcerationibus, longe gra-
 viori quam antea insultu repetierint. Nuperius ad-
 modum D. PRÆSIDI notatu hanc in rem digna fuit
 obser-

observatio in sene fere octogenario, qui quum diu iam graviter dolente laborasset dysuria, erysipelate affectus est in pede, quod reliquit ulcerus quotidie insignem feri ichorosi copiam fundens, tam salubri successu, ut ex eo nunquam molestum amplius persenserit mictum. Ut mittam id, quod omnibus qui in artis exercitio versantur notissimum, apprime scilicet profanitate esse, quando ex succorum vitalium connubio ab internis nobilioribus partibus ad externum corporis corticem, materia corrupta, acris, deleteria amandatur, & scabies, purpura, gutta rosacea, phlyctænes, tubercula purulenta, quæ vocant *Schwären*, aliaque exanthemata sponte efflorescunt, adeo, ut hoc pacto rebelles chronicæ passiones, febres intermittentes, præsertim quartanæ, affectus arthritici, epileptici & convulsivi, maximeque capitis & nervorum morbi ancipites, exitiæ & mitigentur, & penitus sanentur. Hanc itaque insignem extraordinariorum eiusmodi evacuationum salubritatem quum perspicerent Medicorum sagaciores, laudabili utique consilio, providum hoc naturæ institutum & sequi & imitari animum induxerunt, ac per artificium in congruis locis excitarunt ulcera, quo per eorundem emissaria intus delitescentem & ad excretionem per consueta emunctoria minus accommodum humorem sic longe feliciori & faciliori successu foras evocarent. Hinc merito repetenda fonticulorum origo, quorum quidem saluberrimus effectus & præstans in Medicina usus ex alatis iam abunde patet: ut vero eo luculentius innotescat, quibus maxime in morbis, quibusque cum



cautionibus, hoc sanitatis utendum sit præsidio, plenius paullo atque curatius *de fonticularum usu medico* in præsentiarum differere consilium cepimus. Adsit summum Numen nostro conatui!

§. I.

Fonticuli nomine quid in Medicorum scholis insigniatur, omnibus notum, ulcus nimirum cuti variis modis artificiose inductum, quo per istud diutius apertum noxius in sanitatis tutelam effluat humor. Hæc quidem fonticuli vox nullibi, quantum quidem novimus, in HIPPOCRATIS, CELSI, GALENI aliorumque ex veteribus monumentis reperiunda, modus tamen varii generis morbos per ulcera artificialia & arcendi, & curandi, a primis inde Medicinæ incunabulis cognitus fuit. Perfecerunt id maxime Prisci cauterio actuali, ignito nempe ferro, quo modo levius, modo gravius adusserunt cutem & ulcus sic concitando humorem elicuerunt. Ipse iam antiquissimus artis nostræ parens HIPPOCRATES *lib. de intern. affect. §. 19.* si dolor ex coxæ acetabulo corripit & infra descendit indeque rursus ad caput fertur, id fortiter premit, ut æger caput sibi diffringi putet & oculi pituita repleantur, itemque totum corpus, adhibita incassum purgatione & lactis cura, suadet, ut in acetabulum coxæ crustæ urantur tres, sub nates duæ, supra gena una, & supra malleolum una, quippe quæ nec morbum sursum, nec deorsum procedere permittant. CELSVS quoque *lib. VII. cap 7. §. de pituita oculor.* in diuturnioribus oculorum vitiis cutis in capite incisiones, nec non venarum adustiones commendat, cum cautela, ut antiqui cutis fines inter se committi impediatur. Quam frequenti porro in usu eiusmodi cauteria fuerint Methodicorum antiquissimis

simis THEMISONI, ARCHIGENI aliisque, passim confirmat
 COELIVS AVRELIANVS, id quod etiam de Arabibus dicen-
 dum, uti potissimum ex RHASIS *lib. de affect. iunct. tit. 16.*
 patet. Et hinc omnino factum est, ut plurimis ex Veteri-
 bus fonticuli audiant cauteria, quemadmodum constat ex
 SOLENANDRO, *sect. II. cons. 13.* item *Io. de VIGO lib. II. X.*
cap. 15. alii vero, ut AETIVS, RHASES, AVICENNA eos-
 dem communi ulcerum nomine insigniant.

§. II.

Probe itaque Veteres utilitatem huius per ulcera ar-
 tificialia medendi rationis perspexerunt, & post ipsos creber
 usus & multiplex idem uberius confirmavit experientia. Fu-
 erunt tamen, ex HELMONTII maxime & CARTESII scho-
 la prodeuntes, qui invento sanguinis circulo, particularium
 eiusmodi per setacea & fonticulos evacuationum nullum
 amplius ulum esse, asserere haud erubuerunt. At vero una,
 quod dicitur experientia, plus profecto valet, quam cen-
 tum acutissimæ rationes, ideoque id primo omnium agemus,
 ut ex probatissimis priscis, æque ac recentioribus aucto-
 ribus observationes & exempla de præstabili fonticulorum virtu-
 te colligamus & quasi totidem argumenta in medium addu-
 camus. Et in genere quidem quam spectata fonticulo-
 rum ad arcendos varii generis morbos sit facultas, testatur
 Siculorum inprimis mos, qui teste AQUAPENDENTE *oper.*
chirurg. Part. I. cap. 95. etiamsi sani sint, sibi tamen fieri fon-
 ticulum volunt, ut sani conserventur. Quin barbari Lybiæ
 populi, memorante HERODOTO *lib. IV.* pusillis suis quarto
 ætatis anno venas cervicis, ad avertendos morborum ipsis
 solennium insultus usserunt; quibus addi merentur ea, quæ *asp.*
 BARTHOLINVS, *exercit. III. ad h. l.* differit. Idem quoque
 moris fuit apud Italos, qui teste RODERICO a CASTRO *de*
morb. mulier. lib. II cap. 2. frequentius quam ulla alia gens
 fonticulis utuntur, ita, ut SCIPIO MERCVRIALIS in Heb.
 Amz

Amnen-Buch, cap. 26. fidem faciat, eosdem statim post baptismum infantum cervices ferro candente adurere felicium successu, & *AQVAPENDENS chirurg. op. cap VI pag 44*. perhibeat, Florentiæ potissimum vel plane nullos, vel paucos tantum pusillos, hanc capitis exultionem evadere.

§. III.

Quod vero ad ipsam morborum curationem attinet, multiplex & varius in hac fonticulorum est usus, & veritate utique nituntur in genere, quæ quidem *AQVAPENDENS operat. chirurg. P. I. cap. I. pag. 12*. sigillatim de fontanellis in capite prodidit: eosdem nempe imprimis conferre ad capitis morbos frigidos & humidos, ut puta, scotomiam, vertiginem, capitis dolores ac defluxum ad oculos, nares, aures, columellam, fauces, dolorem dentium, gingivarum, gutturis & ad defluxum ad stomachum, nec non ad eos revellendos conferre, qui ad thoracem descendunt & membra spiritalia offendunt, phthisin, asthma, empyema & omnem spirandi difficultatem, denique etiam artuum potissimum dolores iuvare. Iam si specialius paullo morborum censum inimus, eminent hos inter maxime qui caput obsident, in quibus fonticulos maximum & mirandum præstare auxilium *SEVLTETVS armament. chirurg. tab. 43*. affirmare non dubitat. Et de doloribus quidem, qui caput sæpe graviter infestant, luculenta passim prostant testimonia, quod fonticulis & setaceis ad eosdem levandos nihil sit præstantius. Sic *GRAMMIUS in M. N. C. Dec. I. A. III. obs. 81*. meminit: fonticulum, in capite profundius inustum, virginem, quæ per multos annos cum atrocissimis doloribus capitis, noctu maxime, misere conflictata, ab iisdem penitus liberasse. *SOLLINGEN operat. chirurg. P. I. cap. 1. pag. 3*. in cephalalgia inveterata mirifice commendat fonticulum in capite excitandum. Neque minus *WEPFERVS obs. 41*. suadet, ut ad cephalalgiam fonticulus in brachio conficiatur, quia sensim

a lo-

a loco affecto derivet, simul evacuet & ab apoplexia præ-
 servet. Et idem auxilium ad hemicraniam *obs.* 51. & 60.
 tollendam utile iudicat. De setaceorum autem saluberri-
 mo effectu multa potissimum prodidit HILDANVS, qui *Cent.*
IV. obs. 6. exemplum habet de adeo rebeli cephalalgia, ut
 nec internis, nec externis, nec ipsis narcoticis potuerit mi-
 tigari, setaceo autem facto sensim conquieuit. Et *obs.* 7.
 casum exponit diurni doloris, qui setaceo levatus statim,
 & mutato setaceo in fonticulum, penitus abactus. Quibus
 accedit memorabilis RYTSCHII observatio XL. de cephalæa
 rebeli, quæ setaceo admoto cessavit, hoc consolidato, re-
 cruduit, denuo excitato, rursus evanuit, iterum coeunte, ter-
 tia adhuc vice repetiit.

§. IV.

In oculorum quoque affectibus spectatam esse fon-
 ticulorum & setaceorum virtutem, plurimis exemplis Me-
 dicorum observata confirmant. De fonticulis fidem faci-
 unt *Acta Hafn. Vol. III. obs. XII. pag. 23. seqq.* quod puer o-
 mnimoda oculorum imbecillitate laborans, ut lucem ægre
 ferre posset, uno in brachio, altero in pede excitato, con-
 valuerit. Alium, cui muscæ & culices ante oculos versari
 visæ, fontanella in brachio visus claritatem, evanescenti-
 bus muscis, recuperasse. Et Chiliarcham visus imbecillita-
 te & acri defluxione oculorum cum rubedine afflictum, u-
 surpatis frustra omnibus ophthalmicis, a fontanella tam sin-
 gularem percepisse fructum, ut ea quæ antea vix perspicil-
 lorum ope viderat, postea acute sine his cernere potuerit.
 Neque minus WEPFERVS *obs.* 180. se guttam serenam su-
 bito invadentem, vesicatoriis, setaceo, hisque demum co-
 euntibus fonticulo in brachio sinistro percussisse, tradit.
 Inprimis tamen præsentanea in visus vitiis pollent facul-
 tate setacea. WEPFERVS hinc non solum in immi-
 nente gutta serena *obs.* 60. 80. 182. setaceum commendat,

B

sed

sed etiam testatur, se quater eundem morbum hoc auxilio sanatum vidisse. Pariter HILDANVS *Cent. I. obs. 41.* duplex consignavit exemplum ophthalmiæ post variolas setaceo discussæ; ubi etiam notatu dignam consignavit observationem de puella, quæ præ defluxione & inflammatione oculorum visum plane amiserat, setacei autem beneficio, videnti facultatem in eo oculo, ubi tunicæ nondum exesæ & corruptæ erant, recepit. Idem remedium *epist. 67.* in suffusione incipiente suadet, & *epist. 59.* perhibet: se cuidam, qui visum pæne perdidit, eadem ratione, ita opem tulisse, ut elapsis iam decem annis, sexagenario maior, optime sine perspicillis videat. Quin ipsam fistulam lacrimalem trajecto in cervice setone, bis se consolidasse idem gravis auctor *Cent. IV. obs. 19.* memorat. Ut mittamus quæ SYLVATICVS in *consiliis* de amplissimo huius remedii in affectibus oculorum usu passim annotavit.


§. V.

Atrox ille epilepticus morbus, qui pariter in cerebri membranis sedem obtinet & exinde universum corpus gravissime quatit & concutit, hac noxiæ materiæ per ulcera artificialia subtractione, tam egregie, quam vix ullo alio auxilio & mitigatur & expugnatur. Iam dudum enim HIPPOCRATES *lib. de morbo sacro*, ulcera capitis pueros a morbo caduco præservare prodidit, & TULPIVS veritatem huius effati in binis comperit passillis, *lib. I. obs. 8.* narrans: ulcera in capite ab epilepsia eosdem liberasse, illisque occlusis, repetisse iterum priorem morbum, ut necessum fuerit hiatus referare. ARETÆVS quoque *lib. II. de diut. cur. cap. 4.* hunc in finem commendat unctionem, cui assurgit RONDELETIVS *meth. curand. morb. cap. 36.* ubi cauterium actuale in parte posteriori capitis suadet, & addit, est præstantissimum remedium. MONTANVS *conf. 50* refert: senem LII, annorum folis cauteriis in brachio ab epilepsia esse

esse liberatum. Et CRATO *epist.* 118. ap Scholz. cauteria optima adversus epilepsiam esse prophylactica, conceptis scribit verbis. Idem vero praestans effectus a fonticulis & fetaceis expectandus. Digna memoratu hanc in rem est observatio quam consignavit MECKREN de juvene, qui horrendis convulsionibus epilepticis misere affectus, frustra sumit omnia antepileptica, ac demum injusto cum cauterio actuali suturae coronali fonticulo, ab insultu tam trucis mali immunis factus. Epilepsiam quotidie accedentem per fetaceum abactam vidit HILDANVS *Cent. I. obs.* 41. Hinc magnifica passim in Medicorum commentariis de hoc praesidio encomia, e quibus nominasse sufficit FONTANONVM *lib. I. de morb. intern. curat. cap.* 15. MARCELLVM DONATVM *hifl. mirab. lib. II. cap.* 4. SEVERINVM *pyrot. chirurg. lib. II. P. I. cap.* 6. RIVERIVM *Cent. II. obs.* 93. SYLVATICVM *Cent. I. cons.* 42. 43. 45. 48. WEPFERVM *obs.* 108, 117, 131, 125, 135.

§. VI.

Accedunt aliae quae caput infestant morbosae passiones, quibus idem hoc praesidium egregie accommodum per experientiam compertum. Nimirum fonticulos in melancholia, mania, catarrhis, paralyti, cephalalgia aliisque prodelle fidem faciunt RONDELETIVS *meth. curand. morb.* HORSTIVS *lib. II. obs.* 19. GROSSIVS *de morb. cap.* VIGO *lib. IX. c.* 15. MERCVRIALIS *lib. I. cap.* 27. CRATO *cons.* 80. COELINS AVRELIANVS *lib. III. c.* 1. Potissimum in apoplexia utiles deprædicat NYMANN *de apopl. cap.* 46. nec non FAVENTINVS *in med. empir.* De catarrhis capitis hoc pacto rescicandis luculenta sunt SOLENANDRI verba *conf. XI. sect. I. vix credi pot. st,* inquentis, *quam eximium in destillationibus sit remedium fonticulus, ratio hoc ipsum docet, & frequens experientia facile comprobat.* Multus quoque est in commendando hoc auxilio WEPFERVS, quippe



qui istud *in observat.* suadet in obtusione capitis, hemiplegia, vertigine, aurium tinnitu, auditus difficultate, narium foetore, memoriae abolitione eiusque defectu, ozæna, genæ ulcere. Idem passim facit SYLVATICVS, ut *conf.* 38. *Cent. I.* in vertigine, 29. in gravitate capitis, *conf.* 46 & 74. in melancholia, *conf.* 100. in catarrhis, *Cent. IV. conf.* 23. in herpete menti, *conf.* 83. in aurium tinnitu, in locutione læsa *conf.* 28. vitis gingivarum, *conf.* 27. tuberculo in naso *conf.* 26. ulcere cancroso narium, *conf.* 25. narium angustia, *conf.* 24. sibilo & gravi auditu, *conf.* 21. gravi auditu, *conf.* 17. QUO etiam referenda observatio de salubri effectu fonticuli in polypto narium, inserta M. N. C. *Dec. I. An. IX. & X. pag.* 28.


§. VII.

A capite descendimus ad pectus, inquisituri, quid de huius chirurgicæ medendi rationis usu in ipsius affectibus, per experientiam constet. De hoc luculenta sunt SECVLETI *tab.* 43. *armam. chirurg.* verba: fonticulos in thoracis, cordis & pulmonum affectibus magnum & mirandum præstare auxilium. WILLISIVS allegatus in *Praxi Barbett. pag. m.* 121. ad pectoris, inquit, *morbis fontanelle inter homoplatas, item in brachio, aut crure, ad humores versus pulmonem affluentes, evacuandos, aut anticipandos, etiam propter eosdem illuc depositos avocandos, conducunt.* Inprimis ad phthisin laudantur fonticuli a CHRIST. BENED. *th. atr. tabid. pag.* 29. Et HILDANVS *ep.* 49. *fonticulorum,* ait, *beneficio, phthisicos & semiphthisicos, qui sanguinem simul & pus exspuebant, sanatos fuisse, his meis oculis vidi.* Idem de setaceis affirmat *Cent. I. obs.* 41. Quin *Cent. III. obs.* 38. exemplum affert matronæ quæ non solum materiam purulentam, sed etiam sanguinem exspuit & in hecticam cum totius corporis extenuatione & virium prostratione incidit, setaceo tamen cum omnium admiratione sanitati perfecte reddita; nec

nec non *epist.* 66. antistitem a catarrhis pulmonum tabem inducentibus setaceo liberatum esse, prodidit. AQUAPENDENS etiam *l.c.p.* 15. graphice scribit: *ego libere & ex animo testor, me in Praxi vidisse empyematicum, quotidie pituitae catinum extussentem, per fonticulum sanitati fuisse redditum.* De difficultate autem spirandi CAPIVACCIVS. *conf.* 97. *ap. Scholtz.* tradit: quotidiana exploratum esse experientia, anhelitus difficultate vexatos, fonticulo in brachio incredibilem percipere utilitatem. Hinc saepe admodum in consiliis suis adversus pectoris morbos hoc remedium eximie suadet SYLVATICVS, ut *conf.* 56 adversus palpitationem cordis & spirandi difficultatem, *conf.* 51. tussim & asthma, *conf.* 46. ad tussim, raucedinem & difficultatem spirandi, *conf.* 39. 40. 42. 43. ad phthisin, nec non *conf.* 36. contra tussim & sputum cruentum cum febre.

§. VIII.

Ad morbos qui in abdomine sedem obtinent plurimos, fonticulos utiles esse perhibet SYLVATICVS, & eosdem *Cent. II. conf.* 74. & 75. commendat ad dolores ventris, *conf.* 92. in diarrhaea & dysenteria, *Cent. III. conf.* 3. 4. 8. in dolore colico, *conf.* 29. in cachexia, *conf.* 65. 67. 68. 69. in dolore renum, vitii vesicae & mictus, *conf.* 92. 96. in nephritide & colica, *cent. IV. conf.* 1. 2. in pollutione nocturna, *conf.* 7. 9. 14. in affectibus hystericis, *conf.* 19. 20. 28. 29. in fluore albo *conf.* 40. in sterilitate. Maxime omnium vero dignum est quod totum transcribatur SEVLTETI *l.c. tab.* 43. testimonium de egregia fonticulorum in affectibus uteri utilitate, ita habens: *fonticulus in femore in hystericis affectionibus efficacissimus, revellendo & derivando, curavi eo mulieres, quae ob suppressionem mensium uteri furores aliaque symptomata sum passe;* cui addenda merito observatio in M. N. C. *Dec. I An. IX. & X pag.* 46. de eximio ad fluxum menstruum ex fonticulis praesidio. Neque minus egregie de fonticulorum in



morbis infimi ventris usu scribit WILLISIVS l. c. *fontanelle*, inquit, *in dorso, ad nephritim & colicam omnem morbi fomitem anticipando eamque dum ad nidos suos tendit interceptiando, egregie conferunt.*

§. IX.

Superfunt vitia quæ artus externumque corporis ambitum obsident. Ex his primum commemorandi varii generis dolores. In coxendicis quidem afflictione dolente pridem unctiones commendavit HIPPOCRATES *sect. VI. aph. 60.* & vix in ulla passione tam magnifice de fonticulorum & setaceorum usu, quam in hac, sentiunt scriptores medici. In hac ipsa enim magnopere prodesse fonticulos testatur SCHVLZIVS *M. N. C. Dec. I. Ann. III. obs. 156.* MERCATVS *lib. I. de reët. præf. art. med. 115. cap. 16.* FORESTVS *lib. XXIIX. obs. 22.* Instar omnium vero esse poterit SCVLTETI l. c. testimonium, asserentis: se ipsum sibi contra hoc doloris genus summo & felicissimo cum successu fonticulum parasse inter principia musculi gastrocnemii. *Quare, pergit, si in futurum in tali cruciatu ischiadis diuturno, tam interna, quam externa remedia sine successu usurpata fuerint, meo consilio & bona spe salutis, ad hanc Chirurgiam tanquam sacram anchoram confugiant.* Idem sentit WILLISIVS l. c. scribens: *per fontanelam in inguine lumbaginam immanem, quibusvis aliis remediis obstinatam, inque alio affectionem ischiadicam inveteratam, feliciter olim sanavi.* Neque minus HILDANVS *Cent. IV. obs. 75.* dolorem ischiadicum, cum pruritu totius corporis, fonticulorum solummodo usu discussum esse, auctor est. Et idem remedii genus in eodem morbo dilaudat SYLVATICVS *Cons. 88. & 90.* Setaceo quoque per suras traiccto ischiadicam passionem discessisse RIVERIVS *cent. II. obs. 100.* pluribus fidem facit.

§. X.

§. X.

Podagræ apprime conducere fonticulos SCHOLZIUS *epist. X.* SCHORERVS tr. german. von Fontanelle, nec non CAPIVACCIVS *sect. I. lib. V.* pluribus confirmant: & adversus dolores artuum & arthritidem idem ex usu esse non sine ratione SYLVATICVS *Cent. III. conf. 99. 100. & 83.* censet. Quin in *M. N. C. Dec. II. An. VII. obs. 189.* narratur exemplum rustici, qui diu arthritide afflictus, ulcere, quod vocant einen Schwär, in tibia demum affectus est, quod ad consolidationem perducere noluit, sed fonticulum ex eo paravit, tam salubri effectu, ut ab omni dolorum recursu immunis posthæc manserit. Pruritus manuum fonticulo in brachio sustulit GLANDORPIVS, & pruritus scroti fonticulo in femore WEDELIVS, allegante FASCHIO in *dissert. de fonticulis.* Denique etiam ad ulcerum antiquorum & mali moris consolidationem magnum quoque in fonticulis repositum præsidium, ut etiam SEVLETIVS *l. c.* plures quæ ulcera in tibiis habuerunt dysle ulotica iisdem se curasse tradat; & AQUAPENDENS *l. c. p. 382.* senem, tibiam mirum tumidam cum ulcere gestantem, fonticulo supra genu in coxa sanatum esse, perhibeat. Quibus omnino penitus respondent, quæ SYLVATICVS de fonticulis in ulcere ani, tumore scroti, doloribus & ulceribus ex inquinamento venereo, inuendis, idemdem in *consiliis suis* præcipit, & quæ in *M. N. C. Dec. I. Ann. III. pag. 396.* relata leguntur.

§. XI.

Tam spectata igitur in variis chronicis passionibus fonticulorum & setaceorum est ipsa experientia teste virtus. Ex acutis autem potissimum in peste eorundem usus in commentariis medicis ut salubris deprædicatur. Testatur id proprio exemplo SCIPIO MERCVRIALIS, nec non HILDANVS *Cent. VI. obs. 92.* memorans: se peste Bernensi cum

uxo-

uxore quidem peste correptum, sed non adeo periculose laborasse, & causam reicit in fonticulos, quos in cruribus gestarint, eo quod fonticuli & setacea sint præstantissima præservativum tempore pestis, ut in bina peste observavit, ita ut ex viginti sex, vix tres obierint, licet perpetuo circa ægrotantes versati sint. CLAUDIUS quoque *emp. f. 197.* neminem Venetiis peste correptum fuisse refert, qui fonticulum in pede gestavit. Hinc WILLISIVS *de febr. cap. 13.* fonticulos, ait, a cauteriis excitatos, adeo omnium pene suffragis præservationis gratia contra pestem usurpantur, ut eorum usus vulgo frequentissimus existat. Eadem est sententia FINCKENAV in *diff. de fonticulorum usu tempore pestis*, qui eosdem præservatorie & curatorie commendat. Præservatorie maxime, quod semper aliquid de materia corrupta evehatur & sic quo minus omnimode a peste corripitur corpus præcaveatur, idque se crebrius observasse in iis, qui infecti tumores nati, fonticulo excitato evaserunt. Curatorie autem adhibendos esse tum, quando a contagio pestifero aliquid ad glandulas delatum, & periculum, ne relabatur ad interiora, ideoque ipsi tumori inurere suadet fonticulum. Et quæ plura eandem in rem memoriæ prodita sunt a KIRCHERO *de peste*, FONSECA *cons. 49.* DIEMERBROECK *de pest. lib. IV. hist. 110.* FORESTO *lib. VI. obs. 15.* QUERCETANO *lib. II. cap. 2.* nec non DOLÆO *encycloped. pag. 426.*

§. XII.

Adduximus hætenus ex probatissimis tam præsci, quam recentioris ævi auctoribus luculentas observationes, quæ insignem usum & setaceorum & fonticulorum in multis & valentibus morbis, iisque maxime chronicis, mitigandis, æque ac sanandis, abunde confirmant. Jam sequitur ut hanc experientiam, ne fallax, sed fida & certa sit, solidis & firmis rationibus suffulciamus, & modum quo salubris hæc

suc-

succedit effectus dilucide monstremus, addendo demum utiles cautiones in applicatione studiose tenendas. Et primo quod attinet ad operandi rationem, hæc quidem multis obscura adeo visa fuit & imperceptibilis, ut ipsum remedium omni propterea usi carere putarint. Autumarunt quippe, quum sanguis & fluida perenni motu per vasculosam corporis compagem circumagantur; omnem illum qui ex faucibus, sive per vulnera, sive per ulcera, vasculis effluit humorem, a sanguine mediante cordis & arteriarum impulsu, ad partes advecto, materiam & ortum nancisci, ita, ut qualis sanguinis & seri sit conditio ac status, etiam sit illius succi, qui ex ruptis & discissis fibris & canaliculis effluit. Iam autem supposito, quod corrupta & impura materia insit sanguini & corporis succis, quæ morbimateriam præbeat, adeo tamen exiguum esse id, quod quotidie extillat, & præterea adhuc noxium cum utili & nutritio intime sic esse mixtum, ut parum utilitatis ab hac excretionem possit sperari. Et quod maximum, longe commodius & efficacius serum morbificum, vel quantitate, vel intemperie perversa peccans, per alia loca & emunctoria, uti per cutis cribrum, per renum tubulos, vel etiam per alvum, intestinales glandulas & excretorios hepatis poros, quin ipsas etiam salivales glandulas posse secerni & excerni, quam per eiusmodi præter naturam plane novas & largiori evacuationi minus aptas vias.

§. XIII.

Alii Philosophiæ Cartesianæ & corpuscularis præceptis imbuti, uti *Mvys in prox. ration.* modum quo fonticuli & setacea effectus suos edunt mechanica prorsus ratione ita concipiendum esse contendunt, quod serum in omnibus omnino ulceribus, adeoque etiam fonticulis, stagnans foetidum primum fiat & corrumpatur, corruptum postea efformet poros & canaliculos in carnosa & vasculosa sub-

C
stan-

stantia sibi similes, id est, qui figura sua respondeant figuræ particularum impuri & corrupti in sanguine humoris, ut adeo in tale ulcus nihil aliud emittatur & admittatur a humoribus eo circulationis lege allatis, quam quod corruptum & a porulis suscipi potest. Afferunt etiam in confirmationem experimentum, de filtro ex charta emporetica confecto, quod intinctum prius in aquam, & infusa postea mixta oleo aqua, tantum aquam, oleo autem immersum, indito eodem mixto liquore, nonnisi oleum transmittat. At vero quam infirmis in genere argumentis nitatur, & quam longe a veritate discedat, illa a pororum figura desumpta secretionum ratio, nemo non novit; de experimenti autem allati veritate merito dubitandum, quum non modo alii istud contrario plane successu, teste *cl. WEDELIO*, ceperint, sed & nosmetipsi oleum & aquam simul per chartam emporeticam transfudasse viderimus, licet prius vel oleo, vel aqua, eandem imbuerimus.

§. XIV.

Quamvis vero non negandum, sufficere in statu naturali & ad tuendam valetudinem fabricata in corpore humano emunctoria impuris & superfluis humoribus educendis, atque etiam excrctiones per alvum, per cribrum, cutis, renes, glandulosas intestinorum & narium tunicas, ipsasque sal vales glandulas ad curandos morbos multum facere & sanguinem egregie depurare; nihilo tamen secius extraordinariæ per ulcera partibus inducta evacuationes egregii sunt usus, effectû nempe non tantum evacuatorio universalij, verum etiam particulari derivatorio. Etenim quamvis exiguum sit humoris serosi, quod effluit; tamen quia fluxus est continuus & quotidianus, potest utique quippiam conferre ad imminuendam copiam feri præternaturalem. Derivatorius autem & particularis effectus longe eminentior est. Scilicet causæ materiales, quæ motus præternaturales & turbulen-

tos morbosos in corpore creant, sunt potissimum stases & stagnationes sanguinis, feri, vel etiam alius humoris in nervosis & exquisite sentientibus locis, quæ vel acrimonia hostili rodente vellicant, vel copia sua premunt & comprimunt, & sic dolores, spasmos, inflammatione, tumores & alia gravia symptomata cient. Et strictius quidem loquendo, consistunt hæ stases & stagnationes, præsertim feri, in vasculis minutissimis capillaribus, quæ ex finibus arteriolarum ad latera emergunt, & succum vel nutritium, vel excrementum vehunt, in quæ si delabitur, vel etiam impetuose urgetur humor inenperatus nimis & præter naturam crassior, obhærescit ibi, nonnunquam perrumpit partem cui insidet moleste afficit, ut variæ consequantur morbosæ passionis, pro diversitate loci qui patitur discrepantes.

§. XV.

Hinc si contigerit, ut pericranium torum a subsistente humore patiatur, atrox oritur capitis dolor, si dimidia tantum huius pars hemicrania, si cum scripta regio, clavus. Vbi stagnans acris liquor in membranis quæ investunt cerebrum sedem figit, epileptici, ubi in membranis spinalis medullæ, convulsivi præsto sunt artuum motus. Quum principiis nervorum opticorum tenax incumbit, gutta fit serena, spinalis autem medullæ, paralytis & hemiplexia. Quando humor sanguineus in tunnicis quæ oculi bulbum cingunt incarcerationatur, ophthalmia, & quando serofus acris ibidem copiosius colligitur, vasa distendit tandemque extillat, lippitudines, feri falsi, acris sæpius corrosivi, cum dolore & ardore defluxiones ac visu imminuto emergunt. Humores serofi, vel lymphatici, membranis muscutorum nerveis firmiter inhærescentes, dolores pressorios spasticos molestissimos, præsertim nocturno tempore, cum notabili frigoris sensu iunctos excludunt, qui rheumatismi nomine veniunt, & plurima loca, solenniter vero homoplasas & humeros, infestant, & in affectis sic partibus a

C a


lym-



lympha aeri tanta est constrictio, ut ex iisdem ne gutta sudoris profluat, licet totum reliquum corpus sudore diffluat, si vero scarificantur, plus feri, quam sanguinis extrahitur. Idem vitiosum & acre viscidum serum intra membranas & ligamenta nervea & glandulosa articulorum subsistens, pro locorum diversitate eorumque diversa denominatione, modo ischiadicis, modo podagricis, modo gonagricos, nec non arthriticis parit dolores; in cutis autem tubulis & glandulis firmiter detentum, impetigines, herpes, lichenes, pustulas ulcerosas, in facie guttam rosaceam & varos gignit.

§. XVI.

Hisce omnibus morbis, quia partim a firmiter inhaerente, partim & extravasato humore fiunt, ulcera arte facta, quae fonticuli audiunt, omnino succurrere possunt, eo quod facta eiusmodi in parte vicina emissario, corrupto & incarcerato quasi humori, exitus paratur & facile praebetur. Nam in genere in excretionis, quae per vesicatoria & fonticulos fit negotio id merito tenendum esse arbitramur: non omnem secretionem & humoris excretionem intra vasa & tubulos fieri mediante motu progressivo circulatorio, sed per porosam etiam partium solidarum substantiam, dum vasorum alveis elapsus humor, calore & motu tonico extraordinario fibrarum ab una parte ad alteram dinovetur tandemque emovetur. Testatum hoc faciunt varia quae subinde obveniunt phaenomena. Quando pedibus hydropticorum oedematosis levis plaga inferitur, brevi tempore magna quantitas feri extravasati, quae data porta extillat, quod neutiquam per arteriolarum pulsus eiicitur, sed ipsa sua gravitate & motu fibrarum interno adiutum, elabatur atque prodit. Materia purulenta in abscessibus & ulceribus partium externarum collecta, solo terrore aut refrigeratione intensiori, vel medicamento dolorem excitante reprimitur



tur & transfertur sæpe ad loca vicina & interna non sine periculo. Novimus glandularum colli & parotidum insignes in infantibus & adolescentibus tumores medicamentis reprimentibus abactos, ubi humor deleterius e sede pulsus in pectus delapsus asthma convullivum, immo ipsam phthisin & ulcus pulmonum insanabile fere excitavit. Et nihil quoque familiarius, quam quod materia ulcerosa in scabie humida, per porosam fibrarum & vasorum texturam repellatur cum præsentaneo subsequente damno. Quidni etiam humor interior obhærescens eodem modo per poros ad loca externa meare, foras propelli & excludi poterit? Certe copia seri, quæ in hydropicis per forte drasticum alvo excluditur, non adducitur mediante pulsu per arterias ad tunicas intestinorum glandulosas, sed veri est simillimum, quod per poros vasorum foras intro spectantes & per porosam partium fibrosarum substantiam ad intestina transeat. Atque adeo clarissime patet: fonticulos non modo evacuationem humoris præbere universalem, id est, qui ex tota sanguinis & humorum massa procedit, sed præcipue localem, sive partialem & derivatorium, dum ex imis ad extimas ad se quasi alliciunt, trahunt vel etiam revellunt.

§. XVII.

Nunc facilius explicanda venit causa, cur consolidatio fonticulorum magno sæpe coniuncta sit cum periculo, ut non modo morbi priores sublati repetant & recrudescant, sed non raro etiam graviores, immo funesti affectus, in aliis & remotis locis suboriantur. Vberius hanc noxam testatam faciunt peritiores medentum ex antiquis & recentioribus. (RATO longævus ille, felix & prudens Medicus, in consiliis & epistolis, quas collegit SCHOLZIUS *epist.* 174. item *cons.* 221. scribit: *multis exemplis erudimur, quam graves subito affectus, immo mors ipsa, fonticulos, præ-*



sertim in pede clausos, consequantur. Ex Arabibus RHASES *lib. de aff. iunct. tit. XVI.* gravissima sæpe vidit symptomatica fongiculo cocunte. LAELIVS a FONTE *consil. pag. 56.* asthma, MERCVRIALIS *tom. IV. pag. 175.* podagram, HORSTIVS *lib. IV. Part. II. obs. 15.* spirandi difficultatem cum anasarea, coalescente fongiculo, annotarunt. Quumque ab antiquis pedum ulceribus ad consolidationem perductis pulmones labe & ulcere affectos, multoties a Practicis observatum sit; nullum utique dubium, a fongiculis diu cum fructu gestatis & intempestive clausis, præsertim in impuris corporibus, quin idem possit contingere. Causa huius effectus non alia videtur subesse, quam quod ab ulceribus, sive arte, sive sponte factis, ob effluxum qui simul contingit humidi nutritii, debilis & imbecillis omnino pars cui insident reddatur, ideoque deficiente debito ad propulsionem toni robore, maior fiat ibi affluxus & stagnatio humoris, qui tam copia, quam qualitate delinquens, si exitum sortitur, pro sanitate est, ubi vero ipsius excretio viis & orificiis ductuum clausis & constrictis impeditur, remanet ob partium vicinarum infirmitatem, copiosior humoris serosi affluxus & stagnatio, maiorque ex longiori quiete accedit corruptio, unde non mirum est, in laborante parte, aut pristinum vitium resurgere, aut si humor inquinatus & malitiosus, vel vitalibus succis immixtus manens, vel receptus iterum per poros in vasa, mediante sanguinis circulo ad alia loca defertur, pessimas passim propullulare ægrotudines. Nos certe sæpius observavimus, post morbillos vel varicellas in pueris oculorum acres defluxiones, quæ nonnisi apposito in nucha seraceo cessarunt, sublato autem postea seraceo, protinus de novo oculos infestant.

Iam etiam facile ratio patescit, quare à tinea capitis, vel scabie humida in pueris perperam curata, infultus epileptici, vel asthmata convulsiva subnascantur, quæ postea appositis vel vesicatoriis, vel fonticulis in brachiis, aut pedibus, conquiescunt. Novimus exempla, ubi a materia arthritica & podagrica ad internas partes relapsa, vel etiam non sufficienti vigore expulsa, spatmodicæ constrictiones diaphragmatis, ventriculi & intestinorum non levem formidinem inducentes, omnibus aliis frustra datis internis, appositis in brachio vel pedibus fonticulis, sublatis fuerunt. Neque certe experientia suffragio destituitur, phtisim posse eodem pacto præcaveri, si nempe ortum trahit ex acris & impuro humore a partibus superioribus capitis, faucibus, vel tumoribus glandularum internis & externis descendente ad pectus, & huic ulcere in costis, vel in scapulis excavato, via ad exitum paratur. Atque adeo luculenter utique innotescit: magni in arte medendi momenti esse medicationem, quæ ad feri impuri, non tantum evacuationem, verum etiam derivationem, immo revulsionem directa, uti quidem iam in sanguinis missione aliisque excretionibus pridem est nobilitata.

§. XIX.

Altioris indaginis quaestio: qua ratione cautéria, fonticuli & setacea, partibus capitis externis applicata, apoplexiam serosam, hemiplexiam, paralyfin, guttam serenam, cephalalgiam inveteratam, vertiginem aliosque graves admodum cerebri morbos, qui ab humore seroso firmius insidente in his cerebri partibus, originem trahunt, abigere & partes internas liberare queant? Iam vero experientia uberius confirmat, quod in his morbis setacea nuchæ iniecta, vel cautéria applicata loco ubi futura coronalis & sagittalis concurrunt.

curfus est, egregiam tulerint opem, potissimumque maiores nostri mirifice hunc in finem commendarunt fonticulum capiti ubi futura committuntur inductum, uti quidem patet ex *AQVAPEND. pag. 12. 13. SOLINGEN oper. Chirurg. P. I. c. I. FIENO de cauteriis cap. 22. SEVERINO lib. II. pyrot. chirurg. p. 2.* Sunt quidem nonnulli ex recentioribus, qui periculosum modum applicandi cauteria tam actualia, quam potentialia, in hoc tam sensili & nervoso loco, ubi in commissura futurae coronalis & sagittalis durae matris & pericranii est connexio, censent, eo quod ob dolorem ibi quam facile possit inflammatio suscitari. Verum frustraneus est metus, propter multiplicem iam ab omni aëvo innoxium & felicem usum, & potius admodum credibile, quod dolor maior, quem producit chirurgica hæc operatio, multum ad feliciorum operationem conferat, eo quod recensiti capitis morbi a lymphâ glutinosa, intra anfractus & membranas cerebri detenta & a torpore spirituum & motuum maxima ex parte oriuntur. Profunt itaque hoc in loco appositi, non tam ad evacuandum humorem noxium intus latentem, quam potius ad tonum excitandum & motum aliter determinandum, ut quod subsistit e loco suo dimoveatur, non secus ac ipsa vesicatoria, præsertim ea quæ cantharides habent, non tantum excernendo, verum etiam systema nervorum afficiendo motusque excitando, conducunt.

§. XX.

Singularis adhuc fonticulorum in arte medica usus est, quod conditionem atque temperiem & fluidarum & ex parte etiam solidarum partium extraordinariam prodant ac detegant. Nimirum firma & quotidiana constat experientia, quod qui fonticulos gerunt a paullo diuturniori usu infalubrium & valde intemperatorum alimentorum v.g. acidorum, salforum, acrium, calidiorum, ut piperis, allii, molestas

Itas quasdam affectiones, punctiones, dolores, rubores, tumores & alia insolita accidentia ibi percipiant. Crebrius quoque observatur, quod a graviore animi affectu, præsertim ira, tristitia ac terrore, item ab insigni & præternaturali temporum & tempestatum constitutione, extraordinaria quædam sensatio in locis, ubi fonticuli appositi, ipsiusque fonticuli insolitus aspectus, adsint. Præterea quando in morbis intensior spastica contractio, vel stomachum & intestina, vel diaphragma petit, ut in hysteris & hypochondriacis, item in colica convulsiva, asthmate convulsivo, tunc statim etiam compatiuntur fonticuli, ut vel exsiccantur & claudantur, vel dolorifice cum rubore afficiantur. Quinimmo præternaturalis siccitas, livor & pallor fonticulorum arguere aliquid damni in œconomia animali solet, & nihil familiarius est, quam quod ante mortem fluxus humoris per hæc ulcera plane cesset. Ex quibus quidem omnibus merito eliciendum est, tum ingentem partium fluidarum & solidarum in corpore humano dari conspirationem & una parte affecta alteram statim etiam pati, tum quod non secus, quam ex naturalium excretionum, quæ fiunt per vesicam, alvum & cutem, ita etiam ex ulcerum & excerniculorum horum insueta & extraordinaria conditione, sanitatis & morborum indicia, fluidarum & solidarum partium natura, indoles atque constitutio a prudenti Medico perspici possit.

§. XXI.

Neque etiam omittendus aut floccipendendus ille fonticulorum secundarius quasi usus, quem in corpore cui iam inducti in sanitatis tutelam præstant, dum præbent emunctorium, in quod velut incile confluit, si forsân corpus noxia & morbum minitans subiit materia, ibidemque reiicitur. Et certe plura sunt quæ hoc confirmant obvia subinde phænomena. Crebrioris quippe observationis est, loca illa, ubi fonticuli existunt, præsertim in pedibus, ex

D

faci-

facili tentari erysipelate, five animi affectus, five alii errores commissi causam præbuerint. Attentior quoque docet experientia, suscepto intus morborum epidemicorum contagioforum ipsiusque pestilentiae miasmate, protinus fonticuli excerniculum inde mutationem experiri, & frequentissime inflammatorii quippiam cum dolore & rubore in ipsius confiniis comparere. Iuculentousique indicio, autoeratiæ naturæ tribuendum esse, ut ad partem hanc debilem & languidam humor qui in vicio est & morbum minatur, ad promptam secretionem & felicem excretionem transmittatur.

§. XXII.

Restat demum, ut exposita quoque fonticulorum operandi ratione, de recto eosdem usurpandi & perite tractandi modo utiles pariter ac necessarias practicas regulas subnectamus.

I. Quando morbi capitis a congestione & impetu sanguinis & humorum ad superiora oboriuntur, frustraneus, vel plane noxius est fonticulorum usus, sed præstat tunc potius sanguinis, quam feri excrementitii, evacuationi invigilare.

II. Vbi dolores capitis acuti, item motus convulsivi & epileptici, tenera & sensibilia corpora diu detinent, minus tuto in locis sensibilibus & nervosis, ut in nucha, vel pone aures, vel in futuris admoventur cauteria & fonticuli, sed si forsan indicatio est, melius brachiis vel pedibus imponuntur.

III. Non tam facile, nec statim, ad eiusmodi molesta & diu vexantia remediorum genera descendendum est, si res commodiori ratione expediri & causa morbi per præparantia, corrigentia & per naturales excretionem tolli potest, sed tunc demum, quando hæc frustra adhibita, & morbus diutius partem afficit ac detinet, verbo: si læsio magis particularis, quam universalis est.

IV. Neque etiam in morbis externis his solum fidendum, sed præmittenda, immo adiungenda, interna & alia externa, quæ

mor-

397.

morbo expugnando serviunt præsidia, quibus etiam adhuc paullo longius insistendum, imprimis quando spes sanitatis per eadem recuperandæ affulget.

V. In senibus, qui solenniter dyscrasia falsa scorbutica laborant; item in ipsis scorbuticis, ad præcavenda, vel minuenda symptomata, non inutiliter parantur eiusmodi per artem ulcera, tutius tamen id fit in brachiis, quia facilius ibi inflammationes & ulcera tolli possunt; sed si semel inducta, sedulo providendum, ne forsan coeant aut consolidentur, eo quod quo magis corpus est impuris succis referum, eo maius periculum imminet, quando exitu præcluduntur & emissarium aboletur.

VI. Magnam cautionem consolidatio & exsiccatio horum ulcerum desiderat, ne inde gravius damnum emergat. Proinde non facile admittenda in senibus & adultis, sed potius in adolescentia, iuveni ætate, & corporibus quæ adhuc crescunt, sique prius probe constiterit, omne vitium & omnem intemperiem massæ sanguinis esse sublatam. Hinc antequam id fiat & postquam factum, temperantibus & evacuantibus commodis utendum, & pars ubi constitit fonticulus subinde spiritu vini camphorato inungendus, vel vino calido diligenter fovendus.

VII. In cachecticis & hydropicis corporibus non sine periculo fonticulus excitatur, quia facilis est in sphacelum transitus. Perite enim monet *AQVAPENDENS operat. chirurg. P. I. pag. 222. maximum*, inquiens, *imminet periculum dum fiunt, ne sphacelus partem calore depauperatam apprehendat & occupet, qui brevi hominem interimat.*

VIII. Quando exulceratio, ut interdum fit in senibus & scorbuticis, circa partem in qua gestatur nascitur, vel etiam dolor & tumor urget, tunc epithema, quod aquam calcis vivæ, aquam florum sambuci, & eandem atquebusade, saccharum saturni & camphoram habet, cum fructu applicandum, quo in eiusmodi casibus nihil præstantius, nihil utilius.

D 2

IX. In-

IX. Incidit interdum, fonticulum nihil amplius humoris fundere, sed siccescere & consolidationem subire, tum utile globulum ex cera viridi indere, vel si hoc fluxus non repetit, eidem pauxillum emplastri vesicatorii admiscere.

X. Quando caro spongiosa in cavo fonticuli succrescit, pulvis ex alumine usto & mercurio præcipitato rubro compositus & inspersus instar omnium est.

XI. Locus cui tutissime & quam optime inducuntur fonticuli est inter spatium duorum musculorum, vitando eorum tendines & nervos, ubi nostro tempore incisione cum lancetta, reiectis omnibus cauteriis, tam actualibus, quam potentialibus, commode & cum minori dolore excitari solent.

§. XXIII.

Hæc itaque sunt, quæ de præstantissimo fonticulorum usu medico edisserere placuit, ex quibus luculenter satis apparere arbitramur, quosdam inter celeberrimi nominis viros, ut HELMONTIUM, CRAANIUM, BONTKOB, GEHEMAM, DAELMANNUM, ALBINUM LIMMERUM, multum errasse, qui vesicatoria & fontanellas e foro medico reiicere & pro remediis mortiferis venditare haud veriti sunt. Neque minus ex hac nostra rationali disquisitione modi quo operantur ulcera hæc arte facta, irracionales illi mechanismi medici, quo optime nostro tempore res medicæ ad rationes revocantur, oculos intelligent, sterile & ignorantiam prodens molimen esse, in explicando salutari fluentium, & detrimentofo coeuntium fonticulorum effectu, ad internum rationalem & moralem corporis nostri œconomum confugere & loco causarum obscura verba dare, uti quidem nuperius larvatus ille *Vrsinus Bohrmund*, præiudiciis occæcatus contra præiudicia in therapia medica infeliciter pugnans fecit, quasi possessor œconomix vitalis per fonticulos omnibus sese exoneret purgamentis, quando autem contra vitalem consuetudinem, invito vitali principio iidem coalescant, expectandum sit, quid vitaliter eventurum.

F I N I S.

28

IX.
dere, sed
cera viridi
platri ves

X.
ex alum
spersus in

XI.
inter spat
vos, ubi n
teris, tam
dolore ex

Hæc
dico edisse
quosdam
NIUM, B
LIMMER
ro medico
Neque m
tur ulcera
optime no
intelligent
cando salu
effectu, ad
nomum co
nuperius l
contra præ
possessor ce
purgament
vito

olius humoris fun
utile globulum ex
em pauxillum em

i succrescit, pulvis
compositus & in

cuntur fonticuli est
a tendines & ner
ectis omnibus cau
de & cum minori

iculorum usu me
parere arbitramur,
ONTIVM, CRAA
NVUM, ALBINVM
fontanellas e fo
re haud veriti sunt.
nodi quo operan
smi medici, quo
vocantur, osores
en esse, in expli
um fonticulorum
oris nostri oeco
dare, uti quidem
adiciis oecocatus
gnans fecit, quasi
ous sese exoneret
nsuetudinem, in
andum sit,

